

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 5452

**Auteur(s)** : Geoffroy d'Yvetot, Coutances (chanoine)

**Bénéficiaire(s)** : Coutances (chapitre cathédral)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1288, 2 juillet

**Action juridique** : règlement conflit

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Geoffroy d'Yvetot, chanoine de Coutances, règle le conflit entre l'abbaye de Montebourg et le chapitre de Coutances à propos des noales de Sauxemesnil. Conformément à l'acte de l'évêque de Coutances Hugues [de Morville], ces noales appartiennent au chapitre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 246, p. 382-383.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, magister Gaufridus de Yvetot, canonicus Constantiensis, arbiter seu amicabile compositor seu ordinator electus inter viros venerabiles et discretos capitulum Constantiense ex una parte ac viros religiosos abbatem et conventum monasterii Beate Marie de Montisburgo ex altera, super questione novalium decimarum bladorum de Feugereto juxta parrochiam de Sausemesnillo, Constantiensis dyocesis, mota seu que moveri pararetur inter dictas partes, salutem in Domino. Notum facimus quod, anno Domini M° CC° LXXX° octavo, die veneris ante festum Translationis beati Martini, coram nobis comparentibus dictis capitulo, per magistrum Guillelmum Henrici clericum eorum procuratorem sufficienter instructum, ac prefatis religiosis, per Guillelmum dictum Golevaste eorum procuratorem sufficienter instructum, prout nobis constitit per litteras sigillis dictorum abbatis et conventus sigillatas exhibitas coram nobis, petentibus dictis procuratoribus nominibus dominorum suorum predictorum quod nos, juxta formam compromissi quod in nos recepimus nobis datam a partibus memoratis, prout in litteris sigillatis sigillo curie viri venerabilis et discreti officialis Constantiensis apud Valonias, vidimus plenius contineri, procederemus et ordinaremus super novalibus antedictis, nos, visa inquisitione super hiis per nos facta, et aliis que nos in hac parte movere poterant et debebant, communicato consilio peritorum, quia nobis constitit dicta novalia utpote extra metas cujuscumque parrochie existentia ad ipsos capitulum pertinere, juxta donationem seu concessionem bone memorie H[ugonis], quondam Constantiensis episcopi, factum super decimis novalium Constantiensis diocesis extra metas cujuscumque parrochie existentium dictis [viris] capitulo memorato, pronunciavimus et pronunciamus per dictum et ordinationem instrumenti, juxta formam a partibus predictis nobis datam, decimas novalium que sunt, fuerunt et erunt imponentes et pronunciantes per eandem ordinationem nostram ipsos religiosos in dictis decimis jus non habuisse nec habere. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Valet. Datum anno et die veneris, predictis presentibus ad

hec viris venerabilibus G. de Landellis penitenciario, Bernardo Buticulario, Juliano Vallis Virie archidiacono, Nicolao le Verrier canonico Constantiensi et aliis fide dignis. Datum et actum anno et die predictis.